

fallibiliter verum est, & naturæ consentaneum, ut rectè scripserit Tullius; nullam esse gentem tam feram tamqve immanſvetam, quæ non, etiamsi ignoret, qualem DEUM habere debeat, tamen habendum ſciat. Principium alterum eſt ἐπίκτητον ſeu acquiſitum, ſcilicet per diſcurſum inſtituta collectio ex actuali creaturarum contemplatione, & continuatâ eventuum mundanorum obſervatione, de Ente aliquò ſummò creante & conſervante & gubernante. Diſputant Autores, utrum à poſteriori ſolummodò ſit concludendum, an verò occurrant inſuper argumenta à priori inferentiâ? alii affirmant & hoc & illud, plerisqve tamen non niſi proceſſus à poſteriori placet.

§. 4.

Tutiſſimè quidem calcatur trivium illud, quod à Dionyſiò ſuo monſtratum toties jaçant Scholaſtici. Sic autem ille; *noster intellectus triplici viâ de rebus creatis ad DEI notitiam provehitur, viâ eminentiæ, quâ quicquid in creaturis eminet, DEO aliquoſiter attribuimus; via negationes, quâ defectus creaturarum à DEO removemus, ſi enim non potes invenire, quid ſit DEUS, Auguſtinus inquit, piè tamen caveas de eò ſentire, quod non eſt; via cauſationis ſeu cauſalitatís, quâ ex operibus cæli & terræ DEUM tanquam cauſam cognoſcimus.*

§. 5.

Novam hîc excogitavit methodum faciliùs vel deprehendendi divinitatem, vel convincendi atheos, novus ille (ut ſibi quidem ſuiſq; videtur) Philoſophiæ reſtaurator, Renâtus Cartefius: iſte, ſicut Scepticiſmum omnem per omnes etiam Peripateticorum hypotheſes non profligatum hætenùs ſed obfirmatum, funditus eradicatum ire gloriatur, ita in demonſtrandâ exiſtentiâ DEI reperiffe ſe putat non quod pueri in fabâ.

§. 6.

Longum foret enarrare ſingula, queis tam veterum quam recentiorum perſtringit axiomata, ſuos contra fœtus ad cœlum tollens. Ut quam breviffimè contraham diſcurſum hinc inde in ſcriptis diſſeminatum, ſecretum pandit hõc modò: *Cum omnia dubi-*

dubi-